DE SANGUINIS EVACUAZIONE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Ercole Castaman



Schedulē

DE

SANGUINIS EVACUATIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

IN CELEBERRIMO AC PERVETUSTO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE ASSEQUENDAM

PUBLICAE DISQUISITIONI PRAEBET

HERCULES CASTAMAN

VICETINUS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXIII.



Cogitanti mihi effectus sanguinis evacuationis exponere, praestat quod aliqua de ejus usu atque proprietatibus praemittam.

Sanguis primus ac princeps est humor vitam alens et sustinens, omnia continet principia, quibus organismus humanus constituitur; largitur hinc omnia elementa pro nutritione et secretionibus, respuit substantias inutiles et excernendas, amissas restaurat, calorem et reliqua imponderabilia apte distribuit, incitamentum vitale, et partium omnium sensibilitatem, irritabilitatem et reproductionem sustinet; sanguinis ergo integritas requiritur ad vitam alendam et sustinendam. Si vero sanguis detrahatur, praeter quam quod directe ejus quantitas diminuitur, ejus qualitas nimis stimulans compescitur, cordis arteriarumque reactio infringitur, caloris evolutio imminuitur, motus vitaeque omnes generales manifestationes debilitantur, quod quidem in singulis organorum vitalium proprietatibus contingit. Isti vero effectus, qui noxii evaderent in physiologico statu, sub statu morboso benefici fiunt. Subtractio hinc sanguinis

a quibusdam signis et morbis indicatur, quos ego nunc breviter exponam.

Variae pulsuum conditiones medicum persaepe dirigunt ad phlebotomiam aliamve sanguinis subtractionem praescribendam, eo quod a pulsu varia organorum internorum conditio morbosa desumitur. Universim pulsus fortis, magnus, plenus, durus et supressus sanguinis missionem requirit. Sed non semper pulsus iste tutum in hoc criterium praestat. Expositae enim pulsuum conditiones seorsum spectatae vel quibusdam subjectis naturales sunt, vel peculiaribus sub circumstantiis accidentaliter in morbi decursu evolvuntur. Et revera fortior evadit pulsus si arteria superficialis extat, ut in subjectis cacbecticis, alias durus fit propter arteriae rigiditatem, ut in senibus; in sensibilibus autem sub animi emotionibus pulsus licet ad tempus vibrans fit; in gravissimis vero inflammationibus intestinorum et peritonaei pulsus contractus ac debilis evadit: ex adverso plenus surgit in adfectionibus cephalicis etiam levioribus. Interdum quoque post repetitas venae sectiones frequentiores et magis vibrati fiunt. Ergo a sola pulsuum conditione parum statuere possumus.

Sanguis e vasis eductus in varias ejus partes constituentes secedit; ex istis pars fibrosa contrahitur, coagulatur, principium albuminosum exprimitur, et superficiem petit cum globulis rubris, ex quo crusta coloris albo-variegati supra adparet. Sed hoc signum quod medici maxima respiciunt, per se insufficiens quoque est ad sanguinis

evacuationis necessitatem indicandam, quamquam haec conditio a processu vitali excedente plerumque originem ducat. Et revera in morbis asthenicis convulsivis, spasticis, in quibus celerior fit respiratio et circulatio, haec crusta in parte superiori sanguinis e vena educti cernitur, e contra etiam in vehemente phlogosi si statim ab ejus initio sanguis detrahatur, in subjectis cachecticis, scrophulosis et in degeneratione aquosa sanguinis ipsius crusta phlogistica non adparet.

Multae praeterea aliae circumstantiae ejus evolutionem praepedire possunt, ut si guttatim effluat, vase amplo excipiatur, vel a libero aeris contactu removeatur. Hinc aptiori consilio ad omnea ejus partes constituentes respiciendum est; ideo si crassamentum prae serosa parte praevaleat, sitque dura et contracta crusta phlogistica tectum, tum plerumque ulterioris sanguinis subtractionis necessitas elucescit.

Nec minus dubia est indicatio, quae a dolore desumitur. Nullum symptoma est dolore fallacius, nam praeter quam quod diversam naturam et etiam oppositam induere potest, contrariam inde deposcens medelam, etiam a congestionibus passivis dolores oriuntur. Sic adsunt nevralgiae vehementissimae, uti cephalalgia, odontalgia etc. quae venae sectionibus exasperantur. Item dicatur de febri intermittente larvata, cardialgica, cholerica, deque gastrodinia ex sabura.

Aliud signum ad sanguinis evacuationem instituendam desumitur ab aumento caloris. Ad men-

tem hic est revocanda distinctio quae statuitur inter calorem realiter auctum, et caloris sensum quin revera auctus sit. Aliquando, ut praxi quotidiana compertum est, calor urens evadit in morbis hyposthenicis, ut in febribus nervoso-asthenicis, et in adfectionibus hystericis; nec semper calor in inflammationibus morbi gradui respondet; plurimum enim pendet a natura partis specialiter adfectae, ita ut v. g. in febri catarrhali, cutis sicca maximum refert calorem, dum in pleuritide phlegmonosa calor plerumque minus urget, ideoque medicus haec omnia perpendat, cum de hoc symptomate agatur.

Sic pariter fallax est indicatio sumpta a rubore faciei et turgore vitali. Rubor faciei quandoque in morbis hyposthenicis augetur, ut in phthisi conclamata videre est, et contra in ipsa inflammatione interdum imminuitur, ut sub vehementissimis quidem phlogosibus intestinorum, in quibus facies hippocratica frequenter videtur. Sic quoque de turgore vitali dicatur.

Nec tandem febris ipsa tutum criterium ad venam secandam sistit; admodum enim diversum signum praestat, ut si ex debilitate non oriatur, cum debilitate tamen aliquando decurrit, uti ostendunt febres perniciosae, algidae, putridae, nervoso-asthenicae, in quibus si venae sectio malo consilio instituatur, ad exitum lethalem celerius properant. Nec febris ipsius augmentum in hoc criterium erit; potest enim a summa aegri sensibilitate et animi mobilitate pendere.

Ab expositis clare patet medicum non ab uno tantum signo, sed ab eorum complexu de convenientia atque utilitate hujus evacuationis judicare.

Nunc deveniendum est ad morbos, qui sanguinis evacuationem requirunt. Phlogosis primum ac praecipuum tenet locum, quae si ad gradum elatum in aliquo organo evehatur, facile in suppurationem et gangraenam transit, qui exitus sanguinis missionibus generalibus et localibus quantum fieri potest praecaveri debent. Tamen hujus evacuationis necessitas diversimode urget pro vario inflammationis substracto et indole.

Relate ad partem praestat sanguinis missio in phlogosibus organorum nobiliorum, in quibus character irritabilitatis et vitalis energiae eminet; hinc in carditide, encephalitide etc., in pneumonitide vero summo cum emolumento instituitur venae sectio eo quod pulmones praeter sanguinem ad eorum nutritionem necessarium, illum quoque ab aliis omnibus corporis partibus redeuntem accipiunt, qui pressione morbosum statum adauget.

Quoad indolem magis proficua evadit in phlegmonosa, quam in aliis, quae omnium inflammationum prototypum sistit. Sunt enim in hac omnes phlogoseos characteres eminenter evoluti, et major etiam adest proclivitas ad suppurationem quam in specificis quoad substractum et diathesim, ut variae demonstrant dermatididis species, inflammationes catarrhales et rheumaticae inter primas; scrophulosae, herpeticae, syphiliticae inter secundas.

Nec dissimilis phlegmonosa quoad gravitatem est inflammatio sic dicta metastatica, ut v. g. si erysipelas externum cerebrum petat, vehemens evolvitur encephalitis, quae nisi prompte hac methodo curetur, morte finitur.

Febris angiosthenica simplex, quae a vasorum irritatione sustinetur, quamquam non sit vera phlogosis, tamen si gravior fuerit, vel reddiderint subjecti conditiones, emendatur sanguinis subtractione, ut pariter angiosthenia afebrilis, simplex dicta, eamdem curam postulat.

In adfectionibus aneurismaticis quoque non scopo curae radicalis instituendae, quae plerumque in hisce vitus organicis frustranea evadit, sed tantum symptomatico intuitu indicata est venae sectio, sanguinis nempe molem et quantitatem imminuendi causa, ut aneurismatis ruptura quantum fieri potest, procrastinetur. Nec minus ad hoc obtinendum juvat, quod parcae potius et frequentes sint, quam rarae et generosae; nam sic agendo sanguinis distributio magis aequabilis servatur.

Sanguinis evacuatio conferre potest in primo stadio febrium nervosarum, exanthematicarum atque intermittentium. Constat enim quod in primordiis febrium nervosarum aliqua semper adsit irritatio, modo in organis respirationis, modo in cerebro; cauta tamen manu hisce in casibus subtrahere debemus, eo quod si nimis largiamur, vires vitales facillime labant, sorsque aegri inde desperata. Eruptio exanthematum cum sit semper a cu-

tis vitalitate adaucta comitata, clare patet quod a venae sectione haec imminuatur illaque facilitetur, sed non in hac methodo persaverandum; nam metastases ad organa nobiliora facile oriuntur. Febres demum intermittentes si charactere inflammatorio complicatae incedant, ut intermittentes hiemales et vernae, hanc curam prius exigunt quam specifico tractentur.

In cachexiis quoque sanguinis missio proficua evadit, sed non in omnibus; illae tantum eam perferunt, quae cum luxuria processus vitalis incedunt. Maxima vero circumspectione etiam in istis uti debemus; nam etsi levis phlogosis in aliquo organo vigeat, tamen vires aliarum corporis partium ita labefactatae sunt, ut aeger hac ratione curatus in pejus ruat.

Commendatur utiliter in haemorrhagiis activis sive ad sanguinis molem imminuendam, sive ad ejus processum vitalem vasorumque irritabilitatem compescendam. Nec minus utilis evadit in evacuationibus naturalibus vel habitualibus suppressia ad alios morbos, qui ex sympathica reactione oriri possunt, praecavendos.

Retentiones quoque aliornm humorum venae sectionem postulant; nam si quod evacuandum erat diu retineatur, primo irritat, congestionem activam dein auscitat, cui nec raro phlogosis subsequitur, ad quam vincendam curam jam propositam in usum trahere oportet.

Venae sectio praescribitur at summo quidem cum levamine in mania, in apoplexia sanguinea,

et epilepsia. Mania enim frequenter est indolis hypersthenicae cum gravi exaltatione facultatum cerebralium. Apoplexia sanguinea pendet a majori sanguinis copia ad caput, encephali functiones aberrant, vasa sunt admodum repleta ut facile rumpantur, et sic effusio accidat, ad quam praecavendam sanguinis ipsius quantitatem imminuere juvat. Epilepsia quoque ab hac subtractione non semel emolumentum obtinuit, atque inter varias illius species praecipue idiopathica; sed cum difficile sit causam amovere, sic parum fidendum est de utilitate in hoc morbo phlebotomiae etiam reiteratae.

Proficua evadit interdum in paralysi morbisque convulsivis; sed tum vero solum cum pendeant vel a congestione sanguinea, vel a quadam clandestina phlogosi in nevrilemmate, quae reapse existit frequens paraliseos et convulsionum causa. Quod si originem ducant vel ex debilitate, vel nervorum adaucta sensibilitate, tum, quin tollat, eas adauget.

Prodest sanguinis evacuatio in primo stadio tussis convulsivae, quae pueros praesertim aggreditur. Generatim duo haec tussis agnoscit stadia. Eminent in primo symptomata irritationis laryngis, tracheae, bronchiorum, quae si sensim sensimque graviora fiunt, sanguinis missionibus compesci debent, et praesertim localibus, nam generales minus perferunt pueri. Secundo vero stadio symptomatibus irritationis nervosi succedunt, qui minime hac methodo, sed sapientibus antispasmodicis atque anodinis curantur.

Nec desunt quaedam asphyxiae species, quae a congestione sanguinea in capite et pulmonibus pendent, ut asphyxia strangulatorum, et illa producta a gas acido carbonico ceterisque gas inexspirabilibus, et quae ad aegrum in pristinum statum restituendum, praeter alia auxilia, detractionem hujus humoris requirunt.

Tandem sunt nonnulli qui pro usu prophylactico ad morbos praecavendos sanguinis evacuationem commendant. Haec praxis duplici sub adspectu mihi consideranda videtur. Idest vel dispositio ad morbum, quem hac ratione praecavere volumus, adest, vel non; si adest tunc optimum est sanguinem detrahere; sic aliquando impeditur apoplexia in homine habitu sic dicto apoplectico instructo: sed si haec dispositio non adsit, cavendum est ab evacuatione sanguinis, qua facile per adauctam organismi receptivitatem, morbos inducere possumus, quos praecavere volumus; ideoque sanguinis evacuatio pro usu prophylactico hisce considerationibus inniti debet.

Expositis signis indicantibus, et morbis perlustratis, in quibus sanguinis evacuatio proficua evadit, dicendum est de quaestione, exagitata a practicis, idest num magis tempore remissionis, quam exacerbationis, seu stadio critico haec conferat. Tempore remissionis instituta futurum gradum exacerbationis imminuit, sub exacerbatione vero vires nimis adauctas compescit vel suppressas attollit, in stadio vero critico crisis ipsa perturbatur; ideo, si fieri potest, aptiori consilio

in remissione, aliter in exacerbatione, numquam vero sub crisi instituatur. Si medicus in praescribenda sanguinis evacuatione istis principiis innitatur, sibi aegrorumque saluti consulet.

THESES DEFENDENDAE

I.

Diversae sententiae in re medica aegris damnum.

II.

Syphilis confirmata hydrargyrio sublimato breviter sanatur.

III.

Sunt morbi qui natura tantummodo, et qui arte solum pelluntur.

IV.

Miliaris morbus frigore optime curatur.

V.

Opium qua stimulus agit.